



Scientia Sanctorum

Collecta Ex Meditationibus Ludovici De Ponte, Joannis Busaei, Joan. Suffren, Juliani Hayneufve, Et Antonii Gaudier, &c. E Societate Jesu, In Dominicis, Festa & ferias totius Anni digesta. Cum Indicibus duobus. I. In singulos dies. II. Ad Exercitia Spiritualia

Puente, Luis de la

Dilingæ, 1685

5. De uno necessario.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60561](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60561)

232 *Introd. ad Med. III. Partis.*
quam boni habet, sine delectu suscipitur,
quod est inconveniens.

CAPUT V.

*De uno necessario, quod est proprium
vite contemplativa.*

HOc unum commendavit Christus in Ma-
gdalena. Porro UNUM est necessarium.
Huc spectat vita contemplativa, ubiq; renuens
pluralitatem, amans unitatem. Primò in usu
rerum temporalium, ex quibus studet quàm
paucissimis uti. *Habentes alimenta & quibus
tegamur, his contenti simus.* Multum id
confert ad quietem cordis, & singulariter id
sectati sunt viri contemplativi, & quo parcius
istis utimur, liberaliùs à Deo donamur spiri-
tualibus bonis. Secundò requiritur *unitas in-
tentionis*, quæ debet esse gloria Dei, & quæ ad
illam per se diriguntur, uti est præcipuè salus
nostra. Quidquid non huc refertur, extra u-
num est, si vel totum mundum lucrifaciam.
Huc spectat etiam *Unitas*, quâ sumus *unum
corpus, & unus spiritus cum Christo, & una
est omnium fides, unum baptisma, una spes vo-
cationis, unus Dominus, unus Mediator, unus
Deus, & Pater omnium.* Quare detestabor
quæcunque me ab hac unitate corporis Chri-
sti, quod est Ecclesia, quocunque modo ab-
ducunt, aut divellunt. Tertia est, *unitas fa-
cultatum animæ, & actionum; quæ in unum
colli-*

1.
Unitas
parsimo-
niæ

1. *Tim.*
6. 8.

2.
Inten-
tionis.

Eph. 4.
4.

3.
Unitas
faculta-

colliguntur, quando sic in potestate sunt, ut nihil obstrepant, aut avertant animam contemplantis ab unione cum Deo per contemplationem & amorem; sed potius cooperentur suo modo, atque subserviant.

tum animæ.

CAPUT VI.

De prestantia vite contemplativa.

Commendavit illam Christus illis verbis: *Gratia Maria optimam partem elegit, qua non auferetur ab ea.* Ubi est notandum, quod ait Mariam elegisse. Nam, etsi Deus inspirator esse debet suscipiendi vitæ genus, præsertim tam eximium: homo tamen ipse obsequitur vocanti, & cooperatur.

& libertas principia status.

Vocat autem *optimam partem*, quo præfert eam vitæ activæ, nam conjungit magis hominem summo bono, similioremque Deo facit & Angelis, perficiendo ipsam secundum nobilissimas potentias rationales, intellectum & voluntatem, atque istas per actus omnium excellentissimos; nempe contemplationem primæ veritatis, & amorem summi boni, à quibus actibus deinde provenit amor proximi, & fervor, atque devotionis sensus in operibus bonis perficiendis.

à Amore proximi.

Addit porro Dominus: *qua non auferetur ab ea.* Nam quos Deus semel ad eam vitam vocavit, vult in ea permanere, nec ullis ob-
trectationibus (qualis erat illa Marthæ) ab in-

I. In statu confer- vat.